



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Liber I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

ARNOLDI CORVINI
à BELDEREN J. U. D.
JUS CANONICUM,
PER
APHORISMOS
Strictim
EXPLICATUM
LIBER PRIMUS.

De Iure Canonico, seu Pontificio.

TITULUS I.



Uri Canonico, seu Pontificio, operam daturum prius nosse oportet, unde ejus nomen descendat.

Est *Ius* dictum, quia justum, *c. jus generale. 2. §. jus autem. dist. 1. Canonicum*; à Græco *Κανών* quod Latinè regula: cò quod normam rectè & bene vivendi præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat. *c. 2. dist. 3. Pontificium*, quod Pontificem *Romanum* auctorem habeat.

Ius enim Canonicum dicitur, jus positivum, quod à summis Pontificibus Ecclesiæ Romanæ traditum, constitutum, vel approbatum fuit.

Est vel *scriptum*, vel *non scriptum*.

Illud vel est *divinum jus*, vel *constitutio Ecclesiastica*.

Ius divinum est, quod in Lege continetur, & Evangelio. *dist. 1. in sum.*

Hoc omnibus aliis scriptis canonicis præfertur: *c. quis nesciat. 8. dist. 9. & est immutabile. c. fin. §. his itaque dist. 6.*

Constitutiones Ecclesiasticae, sunt vel *statuta Conciliorum*, tam generalium, quam provincialium, & Episcopalianum; *c. 3. dist. 5.* vel *Decreta Pontificum*; vel *dicta Sanctorum. c. 2. §. porro. dist. 3.*

Concilia generalia sunt, quæ Episcopi ex universo orbe auctoritate Sedis Apostolicæ, *c. 1. & seq. dist. 17.* fidei Evangelicæ afferendæ causâ, in unum convenientes condiderunt. *c. 1. in princ. versic. sub hoc. dist. 15.*

Iis statuta propriè *Canones* dicuntur; & ab omnibus per omnia servari debent; præcipue quatuor priorum Conciliorum: puta Niceni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis. *c. sancta octo. 8. dist. 16.*

Provincialia Concilia sunt, quæ Ecclesiasticis de causis, Metropolitano omnes provinciæ Episcopos convocante, celebrantur. *c. propter. 4. dist. 18.*

Episcopalia, quæ Episcopus in sua diocesi, convocatis Abbatibus, Presbyteris, Clericis, singulis annis celebrat. *c. pen. 1. palea. dist. 18.*

Iis statuta, non propriè *Canones*, sed *Constitutiones* dicuntur; & tantum ejus provinciæ, civitatis & diocesis homines devinciunt; *c. 1. dist. 18. Felin. in c. 3. num. 5. de jurejur. & c. 1. Ext. eod.* si puta Canonibus Conciliorum universalium, vel Conciliorum per generalia receptorum, non adversantur: *c. 1. dist. 18.* & interdum confirmatione Apostolicæ Sedis indigent. *c. cum accessissent. 8. de constitut.*

Sic confirmata, & cæteros Christianos obligant. *c. 1. dist. 20. ratio est in c. si Apostolica. 22. de prabend. in 6.*

Decreta Pontificum sunt constitutiones Ecclesiasticæ, à summo Pontifice, vel solo, vel Cardinalium Episcoporum consilio adhibito, aut ultro, aut aliquo interpellante, factæ. *c. 1. de const. c. generali. 25. qu. 1. Gl. in c. omnes. 3. dist. c. 1. de rescript.*

Ea, si generalia sunt, omnibus; *c. 1. de constit.* si specialia, iis quibus concessæ, legem imponunt: *c. ideo. §. neque*

neque enim. 25. qu. 1. c. privilegia. dist. 3. & tum privilegia dicuntur.

Species constitutionum sunt *rescripta*; nam jus inter partes, & in negotiis, seu rebus super quibus conceduntur, faciunt. c. *constitutus*. 11. de *concess. prabend.* c. *cum dilecta*. 22. de *rescript.*

Modo non per mendacium, aut veritatis occultationem. *Felin.* c. *ad audientiam*. 2. num. 27. & num. 22. & c. *super literis*. num. 17. de *rescript.* licet contra, vel præter jus impetrata sint. c. 1. & 2. dist. 19. c. 3. dist. 29.

Sunt *rescripta* literæ, c. 1. & *passim de rescript.* à summo Pontifice, c. 2. eod. vel ejus Vicario, c. *pen. de offic. Vicar.* sive motu proprio, c. *si motu*. 23. & c. *seq. de prab. in 6.* sive aliquo suggerente; (quæ suggestio vocatur intimatio, c. 2. de *rescript.* vel insinuatio, c. 3. de *procur.* vel relatio, c. 4. *vel nos verò. eod.*) & aut conquerente, c. 2. & 4. eod. & supplicante, c. *ult. de eo qui cogn. consang. ux.* aut consulente, c. *consuluit*. 24. de *offic. jud. deleg. emissæ.*

Posteriora *rescripta*, prioribus, si de iis mentionem habeant, aut si is, qui priora impetravit, iis dolo vel culpâ intra annum non sit usus, c. *si autem*. 9. c. *plerumque*. 23. de *rescript.* præferuntur: c. *caterum*. 3. §. 1. ubi *Dd. de rescript.* Specialia generalibus. c. *pastoralis*. §. *quoniam de offic. jud. deleg. c. studuisti. de offic. leg.*

Quæ contra formam *rescriptorum* fiunt, infirmantur. c. *cum dilecta*. 22. *vers. dictum. de rescript.*

Sanctorum dicta vim constitutionum habent; puta ea quæ collectore Gratiano, ex scriptis Doctorum Ecclesiæ, auctoritate Eugenii tertii, sub nomine *Decretorum*, juris nomen & vim acceperunt, & sacris Canonibus inserta sunt. d. c. 1. & *per tot. dist. 20.*

Ius Canonicum non scriptum, in Ecclesiæ Romanæ *Consuetudine* recepta consistit. c. *nolite*. 3. c. *Ecclesiasticorum*. 5. dist. 11. c. *ex literis*. 9. de *constitut.*

Consuetudo, est jus quod moribus introductum.

Hoc, si neque bonis moribus, neque decretis, neque conciliis advesetur, in rebus & juribus Ecclesiasticis, scriptæ constitutionis vigorem habet. *c. diuturni. 6. dist. 12. c. consuetudo. 5. dist. 1.*

Stylus Curia Romanæ etiam, ubi jus non est contrarium, in decisionibus allegari potest. *c. literas. 2. de juram. calumn. Panorm. ad c. ex literis. de constit. Felin. ad c. 2. num. 16. de rescript.*

Is est, formula, qua Aulæ Romanæ Curiales, in rescriptis, vel aliis negotiis expediendis, utuntur. *c. cum in causis. de sent. & re jud.*

Omne jus Canonicum versatur circa tria; *Personas, res, & judicia.*

Videndum primum de personis, quarum causâ cætera omnia adinventata. *Genes. 1.*

De Iure Personarum.

TIT. II.

Personæ, quæ hoc jure considerantur, sunt *Ecclesiastica*, tam *improprie*, quam *proprie* dictæ. *c. duo sunt genera Christianorum. 7. caus. 12. qu. 1.*

Ecclesiasticæ personæ *improprie* dictæ sunt *Laici*: id est, populares. *d. c. duo sunt genera. vers. aliud verò.* Dicuntur Ecclesiastici; quia divino baptismatis munere in Ecclesia admissi, & Christianorum in albo descripti.

Ecclesiasticæ personæ *proprie* dictæ sunt illi, qui Ecclesiæ ipsius ritibus, & solennibus quibusdam servatis, ab Episcopo, ut illi famulentur, sunt adscripti. *Clerici* dicuntur, eò quod in sortem Domini sunt dilecti. *d. c. duo sunt genera. vers. inde.*

Illi, de quibus nobis hic non erit sermo, divinis officiis non sunt mancipati: *Hi* sunt; & proinde, ut contemplationi & orationi intentius vacare possint, ab omni temporalium negotiorum turba & strepitu se continere & temperare debent. *d. c. duo sunt.*

Sunt

TIT. III. DE EPISCOPIS, &c. §

Sunt vel *Regulares*, seu *Religiosi*, sic in specie dicti, quod se omnium maximè religioni devovisse censentur; cum monasteriorum angustiis circumscripti, sub unius Prælati nutu, propriis omnibus sponte exuti, & continentiam professi, degant: vel *Seculares Clerici*.

Horum alii sunt in *Sacerdotio*, & vel in *altiori gradu*, seu *ordine*; vel in *inferiore*: alii in *Sacris*. alii *nec in Sacerdotio, nec in Sacris. d. c. duo sunt. 12. qu. 1.*

In *Sacerdotio*, & *altiori ordine* sunt *Episcopi*, *Archidiaconi*, *Archipresbyteri*.

De *Episcopis*, *summo Pontifice*, &
Cardinalibus.

TIT. III.

E *Piscopi* dicuntur quasi speculatores, quod populorum sibi creditorum mores debeant speculari. *c. Cleros. vers. Episcopus. dist. 21.*

Sunt vel *simpliciter Episcopi*, & singulis civitatibus cum Diœcesi præsent, *c. 1. §. Episcopus. dist. 21.* vel *Metropolitani*, Archiepiscopi quandoque dicti, & singulis provinciis præsent; Qualis est, quæ decem aut undecim habet civitates: *c. scitote. 6. qu. 3.* Vel *Archiepiscopi* seu *Primates*, quibus *Metropolitani*, cæterique ejus provinciæ *Episcopi* subjiciuntur. *d. c. 1. dist. 21.* Aliquando *Patriarchæ* dicuntur. *c. in illis verò civitatibus. 2. per tot. dist. 80.*

Hi tamen propriè hodie sunt quatuor *Episcopi*, primum post summum Pontificem locum obtinentes: hoc videlicet ordine: *Constantinopolitanus*, *Alexandrinus*, *Antiochenus*, *Hierosolymitanus. c. antiqua. 23. de privileg. dist. 22. in sum. ubi Gl. & per tot.*

Omnes *Episcopi* habent ligandi solvendique potestatem; & visitandi deligentiam. soli in Ecclesia sacrum chrisma conficiunt, Dei altaria & Ecclesias consecrant, pollutas repurgant. Clericos ordinant, suspendunt, deponunt; delinquentes excommunicant. Purgationes indi-

cunt, dispensant, solennes pœnitentias imponunt. *c. 1. vers. ad Episcopum. dist. 25. c. quamvis. 4. dist. 68. & 26. qu. 6. per tot.*

In Episcoporum ordine & *summus Pontifex* censetur; sed potestatem cæteris habet majorem, *c. decreto. 12. qu. 6. in fin. c. qui scit. ead. qu. c. multum stupeo. 8. ad fin. 3. qu. 6.*

Omnes enim judicat, à nemine judicatur, excepto Concilio generali, & in causa hæresis: *c. mandastis. 10. ubi Gl. verb. potuissim. 2. qu. 5.* Solus quæstiones de fide, majoresque Ecclesiæ causas decedit: Concilia, eorumque scripta approbat: Synodum generalem congregat: Episcopos Electosque transfert, & eorum sedes mutat: ipsos deponit; depositos restituit: cessiones ab ipsis accipit: eos, ne cui alii quàm Sedi Apostolicæ parere teneantur, eximit: Episcopatus duos unit; unum partitur: vota commutat: illegitimos dignitatum capaces reddit: appellationes ad se, mediis omissis, interpositas admittit; de iis cognoscit: sententias nulli appellationi subjectas fert. *c. 2. de transl. Episc. & c. quod translationem. 4. de offic. leg. ubi Gl. & c. sicut unire. 8. de excess. Pralat.*

Eligitur ex corpore Cardinalium. *c. oportebat. 3. & c. seq. 79. dist.*

Cardinales sunt tanquam Senatores Pontificis, seu Senatus Ecclesiæ. *c. Ecclesia. 7. c. 16. qu. 1.*

Sunt alii *Cardinales Diaconi*, alii *Cardinales Presbyteri*, alii *Cardinales Episcopi*, habitâ ratione titularum quibus insigniuntur.

Singuli in suis titulis sibi decretis habent Jurisdictionem pene Episcopalem; quia & tituli illi Ecclesiis seu parochiis Episcoporum comparantur. *c. his quæ pro. 11. de major. & obed. c. ex gestis. 2. de cleric. non resid.*

Numerus Cardinalium non est definitus; sed summi Pontificis arbitrio, à quo eliguntur, augetur, vel minuitur.

Eligi debent scrutinio & consensu Cardinalium de vi-

ro probo, moribus bonis insignito, justis natalibus orto, ætatis triginta annorum, qui non sit nepos ex fratre vel sorore summi Pontificis, vel Cardinalis. *Secundum Synod. Basil. §. fin. de num. & qual. Card. in pragm. sanct.*

Cardinales omnes, olim bis in hebdomade in Consistorium apud Pontificem conveniebant; hodie tantum semel.

In Consistorio proponuntur & deciduntur controversiæ electorum ad Episcopales Ecclesias. ubi Ecclesiæ vacant, ad quem electio pertinet, discutitur. per illud ad beneficia consistorialia, id est, quæ Sedi Apostolicæ reservata, præpositi eliguntur; in illo omnia quæ ad cultum divinum, ac fidem Christianam, religionem, & pacem orbis Christiani, & conservationem temporalem Ecclesiæ Romanæ pertinent, tractantur. *Tholos. in syntagm. jur. univ. lib. 15. c. 4. num. 15.*

Cardinales, Sede Pontificatus vacante, Ecclesiam regunt. *Idem d. loc.*

De Electione.

TIT. IV.

Quia modò per *Electionem*, modò per *Postulationem* Episcopi ac cæteri Prælati promoventur, *c. 3. in fin. c. 4. §. cæterum. de postul. Prælat. c. innotuit. 20. c. scriptum. 40. de elect.* ideo de his duobus promovendi modis dicendum; & primum de *Electione*.

Electio, est alicujus personæ idoneæ ad prælationem, vel fraternam societatem, canonicè facta vocatio. *Hostiens. in §. 1. & Gl. in c. 1. in ver. vera postulatio. de postulat. Prælat. in 6.*

Pertinet Prælati electio ad collegium, cui Pastor quaeritur, & ad eos qui pacto, vel privilegio, vel consuetudine hoc jus obtinuerunt; *c. 3. de caus. poss. & propr. c. ult. 16. qu. ult. Host. in §. quis possit. nisi jure eligere prohibeantur.*

Prohibentur impuberes; *c. ex eo quod. 32. in pr. de elect. in 6.* qui sacris ordinibus non sunt decorati; *Clem. ut ii de etate & qual. ubi Gl.* qui excommunicatione majore, vel suspensione, per Judicis sententiam illigati: *c. illa quotidiana. 39. ubi Dd. hic. c. fin. ubi Dd. de procur. & c. fin. de cler. excommun. minist.* qui ad eos ordines, quos dignitas, personatusve, aut officium suum exigit, cum possent, non sunt promoti: *d. Clem. ut ii.* qui Laici, si-ve conversi (ut vocant), *c. ex eo. in princ. & fin. cum Gl. hic. in 6.* si-ve simplices; licet Ecclesiæ viduatæ sint Patroni. *c. sacrosancta. 51. & c. Messana. 56. & utrobique Gl. & Dd. hic.* Ut consentiant tamen tum adeundi: *d. c. Messana. 56. & d. c. sacrosancta. 51.* qui scientes indignum elegerunt; *c. quisquis. 43. eod.* qui absentes.

Hi tamen, si iuste impediti absint (Quod, si opus, jurejurando affirmare debent. *c. quia propter. 42. §. illud autem. hic.*), uni, vel pluribus ex Collegio, seu Capitulo, vicem suam mandare, sed in solidum, possunt; non per literas votum suum declarare, nec extraneum procuratorem dare. *c. si quis justo. 46. hic. in 6.*

Procurator ex ipso Collegio constitutus, quem suo nomine elegit, eundem & vice Domini cum constituentis eligere debet; nisi speciali mandato Domini, ei, quem ejus nomine eligere debeat, sit præscriptum. *d. c. si quis. §. porro. hic. in 6.*

Eligi debent idonei; non jure prohibiti; ut minor triginta annis, spurius, indoctus, *c. cum in cunctis. 7. hic.* excommunicatus aut suspensus, *c. ult. vers. si tamen scienter. de cler. excomm.* Simoniacus, *c. super eo. 12. in fin. & c. si alicujus. 59. hic.* avarus, *c. I. cum seq. in princ. dist. 85.* qui à laico antea se eligi passus, *c. quisquis. 43. hic.* qui plura beneficia curata habet, *c. dudum. 54. eod.* qui inferiores ordines per interstitia temporum gradatim non implevit; *Clem. I. de etate & qual. præfic. c. I. dist. 77. c. hoc ad nos. c. ult. dist. 59.* qui in sacris ordinibus, saltem sub diaconatu, non est constitutus; schismaticus;
c. de

c. de Syracusana. in fin. dist. 28. Clem. a multis. de atat. & qual. prafic. neophyta; id est, qui propositum sacrae religionis noviter assumfit; c. 1. & 2. dist. 48. qui scienter inidoneum elegit. Hic enim per triennium eligi non potest. c. cum in cunctis. §. fin. & c. cum Vintonens. c. per inquisitionem. hic.

Non potest fieri Electio, nisi Ecclesiâ, vel per Episcopi mortem, *c. factus. in princ. c. Novatianus. c. scire. c. denique. 7. qu. 1.* vel ob culpam ejus remotionem, *in princ. vers. nisi forte. in 7. qu. 1.* vel renunciationem validam, *c. ult. de renunciat.* vel ad aliam Ecclesiam transitionem, *c. mutationes. 34. c. 34. Episcopus. 7. qu. 1.* vel religionis ingressum, *c. temporis. 44. §. item. cum c. seq. d. c. qu. 1. vacante.*

Facienda intra tres menses; alias jus eligendi amittitur, & ad superiorem devolvitur. *c. ne pro defectu. 41. hic. c. postquam. dist. 50.* Nisi per eum, sine cujus licentia eligere nequeunt, eâ postulatâ steterit, quo minus intra statutum tempus elegerint. *c. ult. hic.*

Appellatione contra electionem pendente, alia electio est inhibenda; quæ interim facta, rescinditur. *c. consideravimus. 10. hic.*

Fieri debet electio in Ecclesia Cathedrali. *c. quod sicut. 28. in princ. vers. cum juxta. hic. c. quâ fronte. 25. in princ. de appellat.*

In ea facienda citari debent omnes, qui habent jus eligendi, ut possint interesse, si velint: alioquin electio non valet: nisi is, qui non citatus abfuit, eam postea ratam habeat. *c. quod sicut. 28. c. coram dilecto. 35. hic.*

Celebratur Electio, per *Scrutinium, Compromissum, Inspirationem.*

Per *Scrutinium* fieri dicitur, cum præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumuntur tres de Collegio, fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox in communi publicent; nullo prorsus

appellationis obstaculo interjecto; ut is, collatione votorum inter se facta, eligatur, in quem omnes, vel major & sanior Capituli pars consentit. *c. in nomine Domini. §. eligatur. verb. fieri in urbe. dist. 23. c. publicato. § 8. hic. c. quia propter. 42. in princ. & fin. ubi Gl. hic.*

Plures si sint Electiones, non sufficit quem à pluribus electum quàm alii; nisi pars, quæ hunc elegit, sit totius Capituli major pars. *c. Ecclesia vestra. § 7. hic. & c. si cui eligendi. 23. hic. in 6.*

In electione Papæ speciale, ut in ea neque citatio sit necessaria, neque absens votum suum alii demandare; neque à paucioribus quàm duabus Cardinalium partibus electus pro Papa se gerere possit, si hoc faciat, excommunicationi subjacet, & sacri ordinis privatione multatur. *c. licet. 6. hic.*

In aliorum Prælatorum Electione si altera pars eligentium numero, altera eligentium auctoritate, & electi meritis præcellat, neutra valet electio; quia ut à majori & saniori parte sit electus, conjunctim requiritur. *d. c. Ecclesia vestra. § 7. hic.*

Si tamen alterius partis numerus duplo major sit, ejus electio indistinctè valet, *c. si quando. 9. hic. in 6.* dummodo electus sit idoneus; si non, confirmabitur electio personæ idoneæ, à minore parte facta. *c. dudum. 22. hic.*

Per *compromissum* fit electio, cum eligendi potestas uni, *c. causam. 8. hic.* vel duobus, vel pluribus, viris idoneis, *c. in causis. 30. c. cum in jure. 33. c. cum in veteri. § 2. hic.* sive de Collegio, *d. c. in causis. d. c. cum in jure. d. c. cum in veteri.* sive extra Collegium, *d. c. causam. 8.* ab omnibus qui jus eligendi habent, *Abb. d. c. quia propter. §. vel saltem. num. 2.* committitur; qui vice omnium vel loco vacanti prospiciant; vel alios, qui hoc faciant, eligant. *d. c. in causis.*

Electione à majore parte eorum, in quos *compromissum*, celebratâ, & mandati formâ ad unguem (ut fieri debet)

debet) servatâ, electus recusari non potest. *c. cum dilectus. 32. ubi. Abb. hic.*

Ita tamen, si compromissum, nemine discrepante, *Abb. in d. c. quia propter. §. vel saltem.* & ante electionem, fit factum: post factum in præjudicium electi, laudumque, secutum, electo non nocebit. *c. cum inter Canonicos. 21. hic.*

Per *inspirationem* fit electio, cum simul omnes Electores, quasi divino impulsu commoti, statim, nullo tractatu præcedente, in unius electione consentiunt. *d. c. quia propter. 42. hic.*

Hæc ut valeat, necesse ut absque vitio simoniæ, conspiracy, conjurationis, requisitionis, vel consensus extra Capitulum habiti, processerit. *Dd. in d. c. quia propter. & c. cum post petitam. eod.*

De Postulatione.

TIT. V.

Postulatio, est concors Capituli petitio, ut is in Prælatum promoveatur, sive adsumatur, qui non propter animi vel corporis vitium, sed ob alium defectum, propter quem non est inhabilis ad prospiciendum Ecclesiæ; veluti, quia est minor triginta annis, aut laicus, in minoribus ordinibus, illegitimus; eligi nequit. *c. 3. & ibi Gl. & Gl. in c. fin. hic. c. innotuit. 22. & ibi Gl. de elect.*

Est vel *Solennis*, quam modo definivimus; vel *Non solennis*, seu *Simplex*.

Solennis, rectâ ad superiorem intenditur, qui omne postulanti impedimentum removeere potest.

Proinde si quis ad Episcopatum postulandus, Pontifici: si ad dignitatem Episcopatu inferiorem, ei qui confirmandi jus habet, postulatio porrigi debet, dummodo impedimentum, quod removeri postulatur, ille possit abolere. *Abb. in c. fin. num. 10. vers. venio nunc. hic.*

Fit vel per *scrutinium*, cujus tamen forma ad unguem

guem, ut plerumque fit, servari non necesse. *Abb. in. c. quia propter. in princ. col. 3. circ. med. vers. quarto. de elect. Innoc. in c. in causis. hic. vel per compromissum. Abb. in d. c. quia propter. col. 3. de elect. ab iis qui possunt eligere. c. innotuit nobis. 20. eod.*

Electio & postulatio simul jungi non possunt; ut, *Eligo postulando, Postulo eligendo, Eligo & postulo. c. 1. hic. in 6.*

Ut postulatio valeat, sufficit, si major & sanior Capituli pars consentiat; *c. 1. de his qui fuer. à maj. par. Cap. c. 1. 65. ut in electione, secundum quosdam; sed necesse, ut ex tribus partibus duæ in eam conveniant, c. postulationem. ubi Abb. & alii. hic. Abb. in c. bona. 1. eod. Hostiens. in c. bona. 1. de elect. Quia cum postulatio gratiosè quodammodo à Collegio fieri dicatur, c. bona memoria. 1. hic. ubi Gl. verb. quam ex gratia. Abb. in Rubr. & c. 1. eod. c. 1. de Elect. congruum non est, tot Collegis ingratias alios Collegii benignitatem velle impartiri, invitosque ad gratiam faciendam compellere; cum juris præceptum sit, vel uno adversante Collegium gratiam facere non posse; *not. in c. cum omnes. 6. de constit. invitumque aliquem gratiam facere non debere compelli. c. precaria. 10. qu. 2. Gloss. d. verb. quam ex gratia.**

Postulatio facta, nondum tamen superiori, cui jus admittendi, porrecta, ab iis qui postularunt, invito etiam postulato, revocari potest: etiamsi scrutinium sit publicatum; nuncius ad superiorem admissionis gratiâ destinatus; imo superiori postulatio sit reddita: sed hoc casu, si superior cum postulantibus in hoc conveniat: alias non. *c. bona. 4. hic. Hostiens. & Abb. in d. c. bona. 2. eod. Sylvest. eod. verb. postulatio. qu. 8. Abb. in c. postulationem. 1. nat. eod.*

Non enim ex postulatione, sed ex admissione, postulato jus quæritur. *Abb. post. Innoc. in d. c. bona. num. 11. & seq. Sylvest. ibid.*

Potest

Potest proinde & Prælati postulationem rejicere; nisi in eam duæ ex tribus Collegii partibus consenserint, utilisque vel necessaria Ecclesiæ futura sit. *Abb. in d. c. bonæ. & d. c. postulationem.*

Qualis tanti est momenti, ut ipsi Electioni à minore parte factæ præferatur. *c. scriptum. 40. ubi Innoc. Abb. de elect.*

Postulatio simplex nullam solennitatem desiderat; & ei fit cujus consensus necessarius (quia ejus interest), ut vir alioquin undequaque idoneus promoveri possit. *Abb. c. 1. hic.*

Eâ admissâ, adhuc electione & confirmatione opus: *Abb. d. loc.* Non si solennis, siquidem tum admissio confirmationis & electionis vim & robur habet. *Abb. d. loc.*

Quapropter non minus quàm electio ipsa examinanda. *c. licet in tantum. 4. vers. Præterea cum postulatio. de transl. Episcopi.*

De Confirmatione Electionis.

TIT. VI.

Electione factâ, ea scripturæ publicæ credita, Electo, octo dierum spatio, ex quo id commodè fieri potest, offerri, ejusque consensus peti debet; *c. cupientes. 16. in princ. & §. ceterum. de elect. in 6.* Electus, si eam accipiet (ad quod non cogitur. *c. gesta. 2. c. ubi ista didicisti. 74. dist.*) intra mensem assensum præstare tenetur; aut si Prælati, cui subsit, venia ei sit impetranda, cum eam impetravit: *c. quam sit. 6. ubi Gl. verb. conditio. c. s. religiosus. 27. de elect. in 6.* alioqui jure, quod ei ex electione quæsitum, carere debet; & Electores ad aliam electionem possunt procedere. *d. c. quam sit. 6.*

Assensum si præbeat; ut jure per electionem quæsitum gaudeat, *c. avaritia. 5. de elect. in 6. c. qualiter. 17. & per illum text. Abb. num. 4. eod. Confirmationem ab eo Prælati*

Prælato petere debet, cui dignitas, ad quam electus, immediatè subest.

Hinc Episcopum confirmabit Metropolitanus, Metropolitanum Patriarcha, Patriarcham summus Pontifex. *Abb. in c. cum Ecclesia. num. 8. de elect.*

Petenda erat *Confirmatio*, olim indistinctè intra tres menses post consensum electioni præstitum; *d. c. quam sit.* post constitutum, si dignitatis confirmatio immediatè à Pontifice petenda, ut electus intra mensem iter ad Sedem Apostolicam arripiat; intra tempus, pro itineris longinquitate moderandum, eò perveniat; ubi pervenit, intra quindecim dies cum actis, juribus, munimentis se coram ea sistat, aut impedimentum proponat; illud intra alios quindecim dies prober, ni jure ex electione quæsito privari velit. *d. c. cupientes. 16. eod. in 6.*

Prælati à quo *Confirmatio* petitur, licet eam sine legitimo impedimento denegare non possit, *Abb. in c. postquam. 3. num. 1. de elect.* non tamen temerè eam debet concedere, sed vel peremptorium terminum præscribere, intra quem si quis contra electionem opponere voluerit, id facere possit; vel si quis simul electus, cum nominatim citare debet: *c. fin. eod. in 6. & diligenter processum electionis, & electi personam, licet nemo contra eam opposuerit, examinare; c. nihil est. 44. §. 1. de elect.* indignam si inveniat, rejicere; *c. cum nobis. 19. eod.* si dignam, confirmare.

Quod potest ubivis locorum, in Ecclesia, domo, pro Tribunali; rectius tamen & honestius id pro Tribunali faciet. *Iohan. Firm. in tract. de Episcop. lib. 8. part. tertia. num. 1.*

Confirmatus, & ante consecrationem, jurat fidelitatem summo Pontifici, *Clem. Romani. de jurejur. c. Ego N. Episcopus. 4. eod. c. dilecti filii. 13. de major. & obed. & de non alienandis & conservandis rebus Ecclesiæ suæ. c. 2. de feud. c. per tuas. §. de donat.*

Post

Post eam, quia matrimonium cum Ecclesia esse ratificatum dicitur, *c. licet. 4. de translat. Episcop.* nanciscitur quæ jurisdictionis sunt: *c. transmissam. 15. in fin. ubi & Gloss. de elect.* puta potestatem judicandi, excommunicandi, corrigendi, juramenta à vasallis accipiendi; item confirmandi, investiendi, beneficia conferendi, & si quæ his similia sunt; non quæ sunt ordinis, quæ ex consecratione demum acquiruntur. *d. c. transmissam. ubi Gl. fin. c. nosti. 9. c. quod sicut. 28. §. praterea. de elect. c. quamvis Chorepiscopis. dist. 68.*

De Consecratione.

T I T. VII.

UT Electus in Episcopatu non solum quæ Jurisdictionis exercere possit, sed & quæ ordinis (ut sunt Clericorum ordinatio & actualis depositio, Chrismatis confectio, virginum benedictio, Ecclesiarum & altarium consecratio. *c. transmissam. 15. ubi Gl. fin. de elect.*), necesse non tantum eum esse confirmatum, sed & consecratum. *c. licet. 4. de translat. Episc.*

Quod adeo verum, ut ne quidem consecrandus ea possit, puta dum Missa celebratur; imo ne quidem eadem die post consecrationem ordines conferre. *c. quod sicut. 29. §. super. de elect.*

Consecratio enim fœdus conjugii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam, quod electione fuerat initiatum, confirmatione ratificatum consummat. *d. c. licet. 4.*

Peti & expediri debet intra tres à confirmatione menses, nisi legitimum subsit impedimentum. *c. 2. dist. 75.*

Consecrari solent omnes in dignitate Episcopali constituti, etiam summus Pontifex; & quidem hic ex more à Cardinali Hostiensi: potest tamen & ab aliis Cardinalibus Episcopis consecrari, *can. in nomine Domini.*

ni. dist. 23. vel ad hoc aliquem ex Episcopis eligere: *Sylvest. in summ. verb. consecratio. 1. qu. 1.* Alii Episcopi inferiores, ab his quibus immediatè subsunt.

Quapropter Episcopus consecratur à tribus saltem ejus provinciæ Episcopis, cæteris consentientibus, præcedente Archiepiscopi jussu; aut, quod consultius, ab ipso Archiepiscopo unà cum Suffraganeis: *c. si Archiepiscopus. 6. de temp. ordin.* Archiepiscopus ab omnibus suæ provinciæ Episcopis in sede Metropolitana. *d. c. si Archiep.*

Qui quidem omnes simul consecrationem peragere dicuntur; licet unus, uti princeps, cui alii cooperantur, hoc ministerium agat: non enim rectè illud inter se partiuntur, ut alius unam consecrationis partem, alter alteram expleat. *Sylvest. d. verb. consecratio. 1.*

Celebratur Pontificis consecratio ante hymnum Angelicum: aliorum Episcoporum inter Epistolæ recitationem & Euangelii celebrationem. *c. quod sicut. 28. §. super eo. de elect.*

Fit unctio capitis & manuum, chrismate, solennibus verbis, precibusque, *c. un. §. 1. in fin. ubi Gl. & Abb. de sacr. unct. & c. Episcopus. 7. dist. 23.* præviâ examinatione, *d. c. Episcopus. ubi Gl. dist. 23.* & quidem horâ tertiâ lucis Dominicæ. *c. 1. dist. 75.*

In Abbatibus, loco consecrationis est benedictio. *Clem. 2. §. statuimus. de statu Monach. c. 1. de suppl. negl. Pralat.*

De Receptione & usu Pallii.

TIT. VIII.

Patriarchæ, Archiepiscopi, & quidam Episcopi, quibus hoc specialiter tributum, *c. pen. de presumpt.* licet confirmati & consecrati, non tamen plenissimam officii & dignitatis administrationem habent, nisi Pallium, Patriarchæ à summo Pontifice; reliqui à Patriarchis impetrent. *c. antiqua. 23. de privileg. prius Sedi Apostolicæ*

licæ fidelitatis, unitatis & obedientiæ juramento præstito.
*c. significasti. 4. de election. c. quanquam. 6. dist. 23. c. ego
 Berengarius. 43. de consecr. dist. 2.*

Pallium est ornamentum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, & quandoque etiam Episcoporum, de corpore B. Petri sumtum, Pontificalis officii plenitudinem conferens, *Abb. in Rubr. hic.* humeros pectusque more sacerdotalis stolæ ambiens, ante pectus pendens, cruces nigras intextas habens, alia ornamenta superregens. *Sylv. in sum. verb. pallium.*

Peti debet non tantum semel, sed sæpius & sollicitè, *c. prisca. 2. dist. 100.* intra tres menses à die consecrationis, aut confirmationis, si nulla exigatur consecratio, quia fortè jam olim fuerit consecratus, puta, cum simplex Episcopus creatus fuit. *c. quoniam. 1. dist. 100. ubi Gloss. verb. consecrationis.*

Pallii traditio objectione criminis vel defectus non differtur; nisi objiciens juret se non calumniosè id agere, & se obliget ad talionis pœnam, atque probationes habeat in promptu; id est, intra duos menses, à die collati officii numerandos, id quod objicit, probet. *Ext. un. de auct. & usu pall.*

Pallio solus Pontifex ubique, dum Missarum solennia celebrat; reliqui, nec semper, nec ubique, sed certis, id est, solennibus diebus in Provinciæ suæ Ecclesiis uti possunt; *c. 1. 4. & pen. de auct. & usu pall.* non extra provinciam; nisi eis specialiter hoc sit à Pontifice concessum. *c. ex tuarum tenore. 5. eod.*

Dies isti solennes sunt; Natalis D. N. Jesu Christi, ejusque circumcissionis; dies festus S. Stephani, S. Johannis Evangelisti, Epiphaniæ, Palmarum, cœnæ Domini, octava Pentecostes; nativitas S. Johannis Baptistæ; dies festi omnium Apostolorum. Item cum Ecclesias dicant, clericos ordinant, Episcopos sacrant, & in diebus Ecclesiæ solennibus, & die anniversario dedicationis Ecclesiæ suæ. *Gloss. in c. ad honorem. 4. eod.*

Pallium qui à Pontifice impetravit, proventibus potestateque administrandi, quæ Pallii concessio tribuit, privatur, si absque literis traditionis Pallii discedat. *Extr. injuncta. §. illi etiam. de election.*

Potestas per Pallium tributa, morte ejus qui illud impetravit, extinguitur; personam enim non transit.

Unde alteri commodari nequit, & quisque cum suo Pallio debet sepeliri. *c. 2. de auct. & usu pall. c. nemo Clericus. 40. de consecr. dist. 1.*

De Vita & honestate Prelatorum.

T I T. IX.

HActenus de Episcoporum creatione: restat, ut quales in vita & conversatione, ut & alii Sacerdotes, esse debeant, enarremus.

Debent esse sine crimine, & populum, cui præsumt, conversatione & innocentiam præcellere: *c. unum orarium. 3. vers. oportet Episcopum. dist. 25.* ab improborum commerciis abstinere: in corrigendis Clericis & Laicis magis caritatem quam potestatem exercere: dissidentes ad pacem magis quam ad judicium compellere: *c. licet plerumque. 4. dist. 45.* in corrigendo lenitatem cum severitate miscere: orationi & prædicationi insistere: *tot. dist. 36. & seq. hospitales & liberales, tot. dist. 42.* sobrii, prudentes & periti esse: *dist. 44. in sum. & per tot.* secularibus negotiis se non implicare: *c. 2. 21. q. 3. & per tot.* pudici esse & domesticarum personarum immoderatam familiaritatem vitare: *dist. 34. in sum. & per tot.* per decentiam habitus extrinseci intrinsecam morum honestatem indicare. *dist. 40. per tot. & Clem. 2. de vita & honestate Clericorum.*

De Translatione.

T I T. X.

VT Archiepiscopi, licet confirmati & consecrati, potestas, si pallium non accipiat, extinguitur; ita &
Epi-

Episcopi, translatione, renunciatione, & depositione, seu degradatione.

Est *translatio*, seu mutatio, *c. mutationes. 35. 7. qu. 1.*: nihil aliud quàm dissolutio vinculi, quo Episcopus cum priori Ecclesia erat junctus, & ad alteram Ecclesiam transitio. *c. in causis. 30. in fin. de elect. c. 2. in fin. de postul. Pralat.*

Eam Episcopus, ni utrâque Ecclesiâ privari velit, propriâ auctoritate, *c. 3. de translat. Episc.* vel etiam Patriarchæ, *c. 1. eod.* facere nequit; sed ad eam auctoritas Pontificis necessaria. *c. 2. eod.*

Qui eam, etiam invito Episcopo, *Goff. & Host. in §. quâ sit causa transferendi. hic.* concedit; vel propter *utilitatem*, quia verisimile, Episcopum magis profecturum: vel propter *necessitatem*, quia non potest in Ecclesia in qua residet, ob persecutionem seu metum hostilem, officio suo defungi: Quo casu à necessitate cessante, ad priorem Ecclesiam debet redire. *c. mutationes. 35. c. scias. 36. c. omnis. 37. c. Episcopus. 38. c. pastoralis. 43. cau. 7. qu. 1.*

Si translatio concessa, Episcopus ab Ecclesia, cui adstrictus, per absolutionem liberatur, facultas transeundi per literas dimissorias conceditur, & Pallium ad nomen & usum ejusdem Ecclesiæ, si Translati dignitas hoc requirat, transmittitur. *c. bonæ memoriæ. 2. §. fin. c. gratum. in fin. de postul. c. in causis. 30. de elect.*

Qui Ecclesiam à qua discedit, post repetere non potest: nec quid cum ea post translationem commune habet. *c. eos. 7. qu. 1. c. quod in dubis. de renunc. c. si quis jam translatus. 21. qu. 2.*

De Renunciatione.

TIT. XI.

Renunciatio, est juris proprii spontanea remissio, ex certis causis & cum auctoritate superioris facta.

Eâ Prælatus jure, expostulatione, electione, translatione, sibi competente, privatur, aded ut per pœnitentiam

ad id, cui sive per se, sive per procuratorem, speciale ad hoc mandatum habentem, *Clem. un. hic.* renunciavit, regressum non habeat, nisi ob restitutionem, vel novam concessionem. *c. 2. 3. & c. in presentia. 6. vers. quia tamen. c. post translationem. 11. hic.*

Ut valeat *Renunciatio*, fieri debet sponte & liberâ voluntate, *c. 5. eod. c. 2. & 4. de his qua vi met. caus.* permissu superioris, justæ causæ impellentis recitatione, in manus ejus, per verbum resignationis, simpliciter, vel adhibito juramento; & quidem purè, non sub conditione, vel in favorem aut commodum alicujus, nec servato regressu, vel ingressu: tum enim nullius esset momenti: *c. ex parte. N. 12. ubi Gl. Dd. de offic. deleg.*

Permissu & in manus ejus debet fieri *Renunciatio*, ad quem ejusmodi beneficium cui renunciatur, conferendi, confirmandi, & instituendi potestas pertinet. *c. quod in dubiis. 8. hic. c. Abbas. 18. qu. 2. c. non oportet. 7. qu. 1.*

In manibus laïci facta, in præjudicium superioris non valet; valet in præjudicium renunciantis, ut jure suo quæsito privetur, nec ad id redire possit. *c. quod in dubiis. 8. hic. c. non oportet. 7. qu. 1. Rota decis. 352.*

Justæ causæ, ob quas renunciatio recipi debet, sunt:
 1. *Conscientia criminis*, sed ejus propter quod ipsius officii executio post peractam pœnitentiam impeditur: *c. nisi cum pridem. 10. §. propter. hic.* ut est simonia. *c. 110. erga simoniacos. 1. qu. 1.* si in electione non sit servata forma. *not. in c. quia propter. 42. de elect.* quodlibet crimen quod ipso jure infamiam irrogat. *c. Euchemium. 7. §. hinc colligitur. 2. qu. 3:*
 2. *Debilitas corporis*, per quam impotens ad pastorale officium exequendum redditur. *d. c. nisi cum pridem. §. alia verò. c. 18. quia frater. 7. qu. 1: 3.*
 3. *Defectus scientia*, si non didicerit ea quæ ad officium suum pertinent. *c. 1. & seq. dist. 38:*
 4. *Malitia plebis*; si ea tam duræ cervicis sit, ut amplius ab eo proficere non possit. *d. c. nisi cum pridem. §. propter malitiam.*
 5. *Scandalum grave*; si per ejus evitacionem peccatum non committatur: *c. qui scandaliza-*

dalizaverit. 3. de reg. jur. d. c. nisi cum pridem. §. pro gravi. 6. Irregularitas, ut si sit bigamus, aut viduæ maritus. d. c. nisi cum pridem. c. cum in cunctis. 7. de elect. c. 59. non confidat. dist. 50.

Qui metu persecutionis, puta tali quæ constantem virum posset movere, *c. super hoc. 5. hic. c. cum dilectus filius. 6. ubi Gl. de his quæ vi met. caus. c. veniens. 13. de spons. adversâ valetudine, propriâ inscitâ deterritus, vel simoniæ vitium clam se in sui commodum commissum perosus, aliâve simili causâ adductus, Episcopatum deposuit, & religionem ingressus fuit, postea, causâ cessante, ad Episcopatum denuò assumi potest. c. post translationem. 11. §. ceterum. & §. rursus. hic. c. presentium. 1. qu. 5.*

De Depositione, seu Degradatione.

TIT. XII.

Degradatio, (quâ, ad similitudinem exauctorationis ejus qui militiam armatam deseruit, conjugium Ecclesiæ & Episcopi dissolvitur: *c. 2. §. actualis de pœnis. in 6.*) fit vel *verbis*, latâ ab eo qui auctoritatem habet, certo Episcoporum numero, si Episcopus degradandus; si in minoribus ordinibus constitutus, solo proprio Episcopo assistente, *c. si quis tumidus. c. si autem. in fin. 15. qu. 7.* degradationis sententiâ: vel *solemniter*, latâ non solum sententiâ, sed ablatis à degradando gradatim singulis ordinis sui insignibus. *d. c. 2. §. verbalis. eod.*

De utraque infra titulo de remotione latiùs. *lib. 4. tit. 47.*

De Permutatione.

TIT. XIII.

Vidimus supra de Episcopatum translatione: hic addimus, quia ei valde similis, de omnium beneficiorum *permutatione.*

Ea fit, cum quis alicui cedit beneficium suum, ut conferatur ei, à quo ipse invicem aliud beneficium, per eum resignandum, consequatur. *c. pen. de rerum permut. in 6.*

Fieri debet, ut valeat, legitima de causa. *c. quæsitum. 5. de rer. permut.* ab utroque, non propriâ, sed auctoritate & in manibus Episcopi, vel Episcoporum, cujus, vel quorum Jurisdictioni, beneficia permutanda subsunt. *And. Gammard. in tract. de rerum perm. seu in c. un. eod. tit. in 6. num. 133. & 134.*

Prælati inferioris Episcopo, licet alioqui jus conferendi habeat, auctoritas non sufficit; ejus tamen, in permutatione, consensus Episcopo necessarius: *Gammard. d. loc. c. quæsitum. eod. Rebuff. in prax. hic. num. 2.* ut & generaliter omnium ad quos jus eligendi ad beneficia permutanda, vel jus præsentandi spectat. *Gl. Clem. un. eod. ubi Dd.*

Sine superioris auctoritate si permutationem quis fecit, obtento beneficio vel dignitate privatur. *c. cum olim. 7. eod.* Nisi permutantis simplicitati veniam tribui æquitas suadeat. *c. cum univerforum. 8. eod.*

Adhibere permutationi auctoritatem debet Episcopus, aut ejus Vicarius, si hoc ei specialiter sit mandatum. *Gammard. ubi sup. num. 23.* si Episcopus nolit, & beneficium suum permutationis causâ aliquis jam resignarit, eo petente, ad id ab Antistite suo compelli potest: *c. nullus. 17. de jure patron. Petr. de Vbal. tract. de benef. perm. num. 30.* Nullum tamen tempus per Canones expressum. *Paul. Leaz. d. Clem. un. Petr. de Vbal. d. loc.*

Potest permutari unum beneficium cum pluribus, plura cum uno, simplex cum curato, & è converso, simplex cum simplici, curatum cum curato; *c. cum venerabilis. 6. ubi lo. And. & alii. de except.* non tamen spirituale cum profanis, *c. fin. de rer. permut.* nec jus in re, cum jure ad rem. *Rebuff. eod. num. 23.*

Permutari etiam non possunt mancipia Ecclesiastica; Nisi favore libertatis, *c. mancipia. 3. eod.* Sint fugitiva, *c. injustum. 4. eod.* Permutatio Ecclesiæ expediat. *c. 67. Ecclesiasticis. 12. qu. 2.* Potest

Potest Princeps rem suam cum re Ecclesiæ immobili permutare; ita tamen, si causa rationabilis id exposcat, & res, quam præstiterit, fuerit major, vel æqualis. *c. 1. eod.*

De Officio & potestate Episcoporum.

TIT. XIV.

OMnes qui Episcopali gradu sunt illustrati, dum eo gaudent, ordinariam habent potestatem.

Ea in tria membra dividitur; Quædam ad eos pertinent *Iure Ordinis*; ut Ecclesiæ & altarium consecratio, post pollutionem ablutio & purgatio, *c. un. de consecr. Eccles. in 6.* Chrismatis & olei Catechumenorum & infirmorum confectio, *c. 1. de suppl. neg. Pralat.* virginum benedictio, clericorum ordinatio. Quædam *lege Jurisdictionis*; ut corrigendi, conferendi, excommunicandi, instituendi, de causis ad forum Ecclesiasticum de jure spectantibus cognoscendi examinandique potestas. Quædam *lege Diocesana*; ut jus procurationem exigendi; cathedraticum sive synodaticum; jus exigendi & percipiendi census & decimas. *vid. c. conquerente. 16. de offic. Iud. ordin. c. dilectus. 18. ubi Abb. eod. c. 1. 10. qu. 3.*

Possunt ea tantum in sua Diocesi, quocunque in loco, non exempto, per se vel per alium, *c. cum Episcopus. 7. eod. in 6.* in suos immediatè subditos.

Unde Archiepiscopus in Suffraganeos, non in Suffraganeorum subditos, paucis articulis exceptis, potestatem habet; *c. Pastoralis. 11. in princ. ubi Gl. eod.* Patriarcha non cognoscit de causis eorum, qui Archiepiscopi aut Episcopi sui sub ditione sunt: Nisi hoc ex privilegio vel consuetudine habeat, vel causæ ad eum per appellationem, legitimè interpositam, sint deductæ. *c. duo simul. 9. eod.*

Solus tamen Romanus Pontifex, non solùm Romæ, sed ubilibet locorum in omnes Ecclesias & Christianos

jura Episcopalia exercet. *c. patet. c. ipsi. 9. qu. 3. c. qui se scit. 2. qu. 6. c. 2. de prabend. in 6.*

Quia gravis & lata est Pastoralis officii cura, ideo nonnulli vel in Ecclesia sunt constituti: ut *Archidiaconus*, *Archipresbyter*; vel extra ordinem, necessitate id exoptulante, constituuntur: ut *Coadjutor*, *Vicarius*; qui Episcopi onus ferant, & ejus levent sollicitudinem.

De Officio Archidiaconi.

T I T. XV.

Archidiaconus, est vicarius proximus Episcopo, omnem sollicitudinem & curam, tam in clericis, quam in Ecclesiis eorum, cognitionemque & ordinariam Jurisdictionem habens. *c. 1. hic.*

Ejus officium est; omnia Ecclesiastica officia ut rite expediantur, providere; Acoluthos ordinare, eorum officia dividere; *c. 2. eodem.* vasa usibus Ecclesiæ dicata custodire; *c. 3. eod.* de tertio in tertium annum Diocesin, & Ecclesias Episcopo subjectas, parochiam propriam singulis annis, *c. mandamus. 6. eod.* visitare; quæ emendatione indigent, corrigere; *c. 1. eod. ubi. Gl. verb. de tertio.* promovendos ad sacros ordines, & beneficiis Ecclesiasticis præficiendos, examinare; postea eos Episcopo sistere; *c. ad hac. 7. eod.* sedibus condignis Prælatos locare; *c. ut nostrum. 9. eod.* omnem curam & sollicitudinem tam in clericis, quam in Ecclesiis eorum impendere; cognitionem & Jurisdictionem ordinariam exercere; jurgia singulorum audire: Archipresbytero, Primicerio, Custodi, Sacristæ, tam in urbe, quam in parochiis, præesse; Subdiaconis & Diaconis imperare; & demum in omnibus vicem Episcopi gerere: *dd. cc. & can. 1. perlectis. §. Archidiaconum. dist. 25. ubi. Gl.* nisi ardua negotia majorem desiderent auctoritatem.

Unde citra Episcopi mandatum, nec potest animarum curam committere, *c. cum satis. 4. eod.* etiamsi alia fuerit consue-

consuetudo; *d. c. cum satis. 4. hic. can. nullus omnino. 16. qu. 7. c. 41. cunctis fidelibus. 16. qu. 1. nec, de jure, puta communi, (de consuetudine enim aliquando potest, ut in c. dudum. in 2. de election.) sententiam excommunicationis in aliquos promulgare, c. Archidiaconus non. 5. ubi Gl. & Dd. hic. Abb. c. cum in cunctis. §. inferiora. num. 4. de elect. nec quem extero Episcopo ordinibus suscipiendis commendare, c. significasti. 8. hic. aut in monasteria Jurisdictionem habere: nisi præscripserit. c. fin. eod.*

De Officio Archipresbyteri.

TIT. XVI.

Archipresbyter, est Prælati cæteris Presbyteris eminentior, vicem Episcopi in spiritualibus gerens. *c. ministerium. 2. c. officium. 3. hic.*

Est vel *Urbanus*, domi in cathedrali Ecclesia officio suo fungens; vel *Ruralis*, qui foris partes suas agit.

Ille vicem Episcopi absentis gerit, curam præsentis minuit. *c. pen. eod.* Nam officia sacra in cantanda Missa, benedictionibus conferendis, Sacramentis administrandis, & ut Sacerdotes in iis administrandis probè se gerant, curat; pœnitentem, infirmum, consulto Episcopo, reconciliat; pœnitentiam cunctis aliis Sacerdotibus injungit; Archidiaconi præceptis, sicut & Episcopi, obsequium præbet. & *c. d. c. ministerium. d. c. officium. c. nunquam. de consecrat. dist. 5. c. cum venerabilis. 7. de consuet.*

Hic, & Decanus (eò quod decem Clericis rura incolentibus præsit. *c. ad. hac. 7. de offic. Archidiaconus.*) dictus, laicorum & Presbyterorum, qui Ecclesias minores Archipresbyteratui subjectas administrant, curam habet; gravia delicta, si quæ inciderint, Episcopo significat; strictè ea quæ ab Episcopo decreta, sequitur; Archidiacono parat. *tot. tit. hic.*

Uterque Presbyter esse debet, aut, si non est, intra annum fieri; ut Archidiaconus, si non est, Diaconus. *Clem. 1. de atat. & qual. c. 1. dist. 60.*

Habent Archipresbyteri jurisdictionem voluntariam, non contentiosam, nec territorium ullum; nisi in foro pœnitentia: & tum illud Episcopo est commune. *Abb. & alii in c. cum contingat. 13. de foro compet.*

De Officio Coadjutoris.

TIT. XVII.

Coadjutor est, qui vices gerit Episcopi, aut alterius, etiam inferioris, ut Archidiaconi, &c. qui vel muneribus quibusdam obeundis non est idoneus, puta verbo Dei ad populum ferendo, Ecclesiis invisendis, reatibus subditorum audiendis, pœnis inurendis; vel aliquâ justâ causâ perpetuo impeditus est; ut ægitudine, senio. *tot. tit. de Cler. agrot. & c. un. eod. in 6.*

Eum sibi adsciscit Episcopus, de Capituli sui vel majoris partis consilio & consensu, auctoritate Pontificis, moderatis sumtibus ei ex proventibus suis tributis: *d. c. un. cum spe futuræ successionis, sed non, (quod Concilio Tridentino statutum, cap. 7. sess. 25. de reformat.) nisi causâ prius diligenter à Pontifice cognitâ.*

De Officio Vicarii.

TIT. XVIII.

Episcopi, vel alii Clerici, si necessariis causis impediuntur, quominus officiis suis possint superesse, viros idoneos, quibus vices suas mandant, possunt eligere; assignatâ iis certâ proventuum Ecclesiæ aut beneficii portione. *c. extirpanda. 30. §. qui verò. de preb. c. beneficium. 4. de regular. in 6. c. pervenit. 28. de appel. c. cum ex eo. 34. vers. porro. de elect. in 6.*

Idonei non sunt, Ordinis Mendicantium Religiosi, Monachi, Clerici regulares, nisi cum licentia Prælati, cui sunt subjecti, *c. 22. in nona. 16. qu. 7. Clem. etsi. 2. verb. ad Prioratum. de rescript. Rebuff. in praxi. tit. de Vicar. Episc. num. 30. nec laici. d. c. in nona. 16. qu. 7.*

Constituuntur Vicarii vel ad divina ministeria celebranda; & nomen retinent: vel ad jurisdictionem exercendam: *Gl.*

in rubr. hic. & Officiales, vel Missi dominici dicuntur. Gl. in Clem. 2. verb. Officialis. de rescript.

Ad divina ministeria constituuntur, vel *in perpetuum*; ut ad beneficium cum animarum cura, quod quis Prioratui habet annexum; *c. un. de capel. monach. in 6. Cl. 1. de offic. Vic.* qui tum debet fieri Presbyter; si nolit, ad id, per subtractionem proventuum aut vicariatuum, cogi: *c. fin. eodem.* Vel *ad tempus*; cum quis ad tempus beneficio suo est abfuturus. *c. pen. de Cler. non resid.*

In perpetuum constituti, si Episcopi, ut debet, consensus adhibitus, nec per Rectorem dominum, nec ejus successorem, amoveri, portioneve suâ defraudari possunt; nisi culpâ hoc mereantur. *c. 3. hic.*

Ad exercendam Iurisdictionem ab Episcopo constituti habent facultatem administrandi, tam spiritualia; ut sunt, excommunicare, suspendere, interdicere, conferre, instituire, confirmare, eligere, præsentare, visitare, corrigere, punire, dispensare, vota commutare, & similia: quàm temporalia; ut jurisdictionem tam meri quàm mixti imperii, & actus quosdam extrajudiciales exercere, puta alienare, ad firmam concedere, census, redditus, pensiones, exigere. *Rebuff. in prax. for. Vicar. Episc. fol. 59.*

Habent Iurisdictionem, non delegatam, sed ordinariam: & eandem quam Episcopi. *c. 2. de consuet. in 6.* Unde non ad Episcopum appellatur à Vicarii sententia, sed ad Archiepiscopum; Licet ab Archidiacono & aliis inferioribus Prælati ad Episcopum appelletur. *c. 3. in princ. & §. 1. de appell. in 6.*

Sed hæc accipienda sunt de *Officialibus principalibus*, hoc est, qui ab Episcopo in Curia sua per commissionem officii generaliter factam sunt constituti, non verò de *Officialibus*, qui in certa Dioceseos parte quandoque constituuntur, idcirco *Foranei*, id est, extranei dicti.

Hi enim cum non habeant idem, sed diversum ab Episcopo consistorium, rectè ab eis ad consistorium Episcopi fit provocatio. *c. 2. & ibi Gl. & Panorm. de rescript. in Clem.*

Vicarii alios Vicarios sibi substituere nequeunt. *c. 4. hic.*

De

*De Officio & potestate Capituli Sede
vacante.*

T I T. XIX.

Morte Episcopi, aut alia de causa, Sede Episcopali vacante, Jurisdictio potestasque, quæ Episcopo compete-
tebat, tam in spiritualium, quam temporalium administra-
tione, ad *Capitulum* spectat: *c. cum olim. 14. c. his quæ. 11. de
major. & obed.*

Ea quæ Episcopalis ordinis sunt, non exercet, sed ad id
vicinum Episcopum evocat. *Gloss. in d. c. his quæ. 11. c.
cum olim. 14. eod. Pavin. in tract. de potest. Capit. qu. 3. 4.
part. 1.*

Qui citra aliquod futuri Episcopi præjudicium, & cum
testatione, ut sibi nullum in eo Episcopatu jus, nullave quæ-
ratur possessio, ordines Ecclesiasticos conferet, cæteraque
Episcopalis Ordinis munera exercebit. *c. suffraganeis. de
elect. Pavin. de loc.*

Est Capitulum cœtus Canonorum illius Ecclesiæ. Il-
lud enim conflant, & de Capitulo dicuntur Canonici; non
alii ejusdem Ecclesiæ Clerici. *Abb. in c. 1. num. 11. & c.
scriptum. num. 4. eod.*

Sede vacante nihil contra Ecclesiam potest novari, *c. 2.
de instit. d. c. cum olim.* judicium contra eam institutum non
valet. *c. 1. ne Sede vacant.*

Proinde nec Capitulum potest præscribere ea quæ sibi
alioqui non competunt. *Gloss. in c. 1. de prescript. Abb. &
Felin. in c. ex transmissa. 10. eod.*

De Officio Legati.

T I T. XX.

Diximus supra de Vicariis Episcoporum; tractemus
nunc ea occasione de Vicariis summi Pontificis: qui
Legati dicuntur.

Horum

Horum tres sunt species. Alii sunt *Legati de latere*; Alii *missi*; Alii *nati*. *c. 1. de offic. leg. in 6. c. 9. hic.*

Legati de latere, sunt Cardinales, qui ex latere summi Pontificis, & ejus Senatu, *c. 7. Ecclesia. 16. qu. 1.* accipiuntur, & nomine summi Pontificis, potestate accepta, in provincias mittuntur.

Hi dum legatione funguntur, Apostolicæ dignitatis insignibus utuntur. *c. antiqua. 23. de privileg.*

Legati missi sunt, qui extra ordinem Cardinalium constituuntur, & in provincias per summum Pontificem cum mandato & potestate mittuntur. *d. c. 1. de offic. legati. in 6. c. mandata. 6. de presump.*

Legati nati sunt, qui ratione privilegii, beneficii possessi, potestatem à Pontifice habent, tanquam ejus Legati. *d. c. 1.*

Omniū officium est; in provinciis sibi decretis, vice Pontificis noxia evellere & dissipare, salutaria inducere & promoveri, *c. 2. hic. in 6. c. 1. de consuet. c. mandata. 6. de presump.* provincialium causas tanquam Judices Ordinarii audire & cognoscere, *c. 1. hic. junctod. c. 2. in verb. ordinarios.* Concilium provinciæ vocare, *Abb. c. quod translationem. num. 6. hic.* vices suas aliis subdelegare, *c. fin. ubi Abb. eod.* causas unius provinciæ, si sint diversarum provinciarum Legati, in alia expedire. *c. novit. 7. eod.*

Pendet maxime eorum potestas ex literarum suæ commissionis, seu mandati, tenore. Ideoque non creditur Legato, nisi literas suæ legationis ostendat. *c. fin. dist. 97.*

Legatus tamen de latere quædam ex dignitate habet supra alios; nempe post summum Pontificem in provincia sibi decreta majus imperium; *c. Abbatem. 36. §. hujusmodi. de elect. in 6. c. volentes. 8. hic.* & proinde quædam potest, quæ aliis non sunt permessa, ut quosvis excommunicatos propter manuum in Clericos injectionem absolvere, *c. excommunicatis. 9. ubi Panorm. hic. c. ad eminentiam. 20. de sent. excomm.* beneficia non vacantia in collegiata vel cathedrali aliqua Ecclesia, suæ collationi reservare;

vare, *c. presenti. 3. hic. in 6. & ibi Gloss. vacantia, licet ad alicujus Clerici præsentationem spectent, conferre. c. dilectus. 6. eod. c. 1. eod. in 6. in summa omnia potest, præter excepta & soli summo Pontifici reservata, quæ generali mandato non comprehenduntur. c. qua de causa. 9. & ibi Gl. 2. qu. 5. c. 4. ubi Gl. hic. sed speciali opus habent. c. 3. & 4. eod.*

Hinc non potest cathedrales, vel regulares, vel collegiata Ecclesias, nec dignitates Ecclesiarum cathedralium majores post Episcopos, quæ per electionem conferuntur, sibi reservare, *c. deliberatione. 4. hic. in 6. nec Episcopos transferre, c. nisi specialis. 3. & c. quod translationem. 4. eod. nec Episcopatus unire, dividere, subjicere, d. c. quod translationem. c. sicut unire. 8. de excess. Pralat. nec de negotio quod ad Pontificem retulit, cognoscere. c. licet. 5. hic.*

Finitur Legatorum officium lapsu temporis, si ad certum tempus sint dati, *c. de causis. 4. de offic. luv. deleg. revocatione Pontificis, c. ult. & c. excommunicatis. hic. relatione Pontifici factâ, c. licet. 5. eod. morte Legati, & Pontificis, qui eum misit, si res integra: c. mandata. 6. de presunt. alioqui non. c. 2. de offic. Ord. in 6. ubi Anchar.*

De Sacerdotibus in inferiori gradu constitutis.

T I T. XXI.

HActenus diximus de Sacerdotibus in *altiori ordine*: nunc videndum de iis qui sunt in *inferiori*.

Illi sunt *Presbyteri*, id est, *Seniores*; sic dicti non modò pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem. *c. 1. Cleros. dist. 21.*

Officium eorum est, Dominici corporis & sanguinis consecrationem celebrare; *c. quamvis. dist. 68. c. 1. §. ad Presbyterum. dist. 25. infantes baptizare, c. constat baptisma. 19. de consecrat. dist. 4. sanctificato oleo inungere, benedicere, de occultis peccatis pœnitentes, vel in*
extre

TIT. XXII. DE IIS QUI IN SACRIS, &c. 3^r

extremis agentes absolvere; Nec non, sed tantum Episcopo permittente, aut extremâ necessitate urgente, baptizatos sacro chrismate linire, virgines Deo dicare. *c. 1. & seqq. 26. qu. 6. & c. Presbyteris. 119. de consecrat. dist. 4.*

Nulla modo Ecclesias erigere, consecrare, reconciliare, sacrum chrisma conficere, Clericos ordinare, excommunicare, pœnitentes publicè reconciliare: Quæ Episcopis reservata. *d. c. quamvis. dist. 68. & c. 1. vers. ad Episcopum. dist. 25.*

De iis qui in Sacris sunt constituti.

TIT. XXII.

Sequuntur ii qui non sunt Sacerdotes, sed tamen in Sacris: quales sunt *Diaconi & Subdiaconi*; qui etiam abusivè *Sacerdotes* dicuntur: illi enim propriè sunt, quibus permissum sacrificium corporis & sanguinis Domini in altari perficere. *c. 1. vers. Sacerdos. dist. 31.*

Diaconi, & Levitæ dicti, sunt Episcoporum & Ecclesiæ ministri. *c. dominus noster. 25. §. meminisse. dist. 23.*

Episcopum enim debent prædicantem, ne ipse lædatur, aut divina verba per detrectatores polluantur, custodire; Sacerdotibus celebrantibus in omnibus assistere; Euangelium ad populum prædicare; *c. 1. vers. ad Diaconum. dist. 25.* Non, nisi extrema id, ob longam Episcopi aut Presbyteri absentiam, necessitate urgente, baptizare, aut Eucharistiam populo erogare. *c. constat Baptisma. 16. de consecrat. dist. 4.*

Subdiaconi (sic dicti, quia Diaconi præceptis & officiis subjacent. *c. Cleros. dist. 21.*) debent calicem & patinam ad altare deferre, Diaconis tradere, eis ministrare; urceolum, aquam, mantile, manutergium tenere; Episcopis, Presbyteris, Diaconis aquam ad altare pro lavandis manibus præbere. *c. 1. vers. Subdiaconos. dist. 25.*

Et *Diaconi & Subdiaconi* fiunt per manus impositionem

nem (quæ est oratio super hominem. *c. 74. manus impositio. 1. qu. 1.*), ritibus propriis & solennibus cuique ordini adhibitis. *dist. 23. per tot.*

*De iis, qui nec in Sacerdotio, nec in
Sacris sunt.*

T I T. XXIII.

Qui in minoribus ordinibus sunt, *nec sunt in Sacerdotio, nec in Sacris*; Sine enim Sacramentali unctione, sola Episcopi benedictione cum quadam vasorum vel indumentorum distributione ordinantur.

Tales sunt, qui primam tonsuram tulerunt; *c. cum contingat. 11. ubi Gl. & Dd. de atat. & qual. ut Psalmista, Ostiarii, Lectores, Exorcista, Acoluthi*; quibus omnibus sua munia sigillatim sunt divisa.

Psalmista, sunt cantores: qui cantandi officium, jubente Presbytero, Episcopo etiam inscio, suscipiunt. *c. Psalmista. 20. dist. 23. c. 1. vers. ad Psalmistam. ubi Gl. dist. 25.*

Ostiarii sunt, ad quos claves Ecclesiæ pertinent; ut templum Dei claudant & aperiant, & omnia quæ intus extraque sunt custodiant, fideles recipiant, excommunicatos & infideles ingressu arceant. *c. 1. §. ad ostiarium. dist. 25.*

Lectores sunt, qui sacras scripturas ex suggestu in Ecclesia populo legunt. *d. c. 1. §. ad lectorem.*

Exorcista, qui catechumenis & energumenis manus imponunt, & solennibus quibusdam imprecationibus & obsecrationibus dæmones fugare credunt; à Salomone, unà cum exorcizandi modo inventi. *secund. d. c. 1. §. ad exorcistam. c. Cleros. §. exorcista. dist. 21.*

Acoluthi, qui lumina præparant, cerea & funalia deferunt, suggesta pro Eucharistia Subdiaconis præparant. *d. c. 1. §. ad Acoluthum. dist. 25. d. c. Cleros. §. Acoluthi.*

His omnibus citra excommunicationis pœnam, à solo
Ponti-

Pontifice, excepto mortis articulo, relaxandam, manus injurias injicere nemo potest. *d. c. Cleros. ubi Gl. c. 29. § quis suadente diabolo. 17. qu. 4.*

Matrimonium, si ad superiores ordines provehi noluerint, contra quàm illi qui in iis sunt, *dist. 26. & 32. per rot.* possunt contrahere; beneficiis tamen, si forte habuerint, privandi. *c. 1. c. quod à te. 3. c. diversis. 5. de Cleric. conjug.*

De Majoritate & Obedientia.

TIT. XXIV.

CUM, ut diximus, certi sint Clericorum ordines, decorum est, ut majores minoribus dilectionem; ita minores majoribus reverentiam, & quandoque etiam obedientiam præstare. *c. 3. c. quod super. 9. hic. c. ult. dist. 89. c. 15. non oportet. dist. 93.*

Majoritas, est prærogativa, quâ quis cæteris paribus, vel inferioribus dignior, majorique honore est afficiendus. *c. 1. Ext. hic.*

Ejus multæ sunt causæ. Nempe, *Ordo, c. statuimus. 15. hic. Potestas, Tempus ordinationis, Dignitas, & prærogativa Ordinantis.*

Ordo; quia qui sunt in majoribus ordinibus, præferuntur iis qui sunt in minoribus, & tam in his, quàm in illis sunt certi gradus: *inc. à Subdiacono. 5. dist. 93.* ita constituti. 1. *Episcopus*, 2. *Presbyter*, 3. *Diaconus*, 4. *Subdiaconus*, 5. *Acoluthus*, 6. *Exorcista*, 7. *Lector*, 8. *Ostiarium*, 9. *Abbas*, 10. *Monachus*.

Abbas ponitur post *Ostiarium*; quia omnes *Monachi*, qui non sunt *Clerici*, *Clericis* sunt inferiores. *c. alia causa. 6. caus. 16. qu. 1.*

Potestas, puta vel *consecrandi*, unde *Episcopus* cæteris omnibus, *c. olim. dist. 95.* vel *dispensandi*, unde *Archidiaconus* *Archipresbytero*, *c. 1. de off. Archipresb. c. un. de off. primicer.* est major.

C

Tem-

Tempus ordinationis: quia cæteris paribus, is qui prior ordinatus fuit, postea ordinato præfertur. *c. 1. hic. c. 1. vers. s̄ autem partes. de paroch. c. ult. dist. 17. c. ult. dist. 75.*

Dignitas & prærogativa Ordinantis; quia ordinatus à superiore, inter alios ejusdem ordinis magis est honorandus. *c. per tuas. 7. hic.*

Potest quis diverso respectu esse major, & esse minor, vel æqualis; sic Archidiaconus, Archipresbytero ordine est minor; ut enim Archipresbyter est Presbyter, ita Archidiaconus est Diaconus; *c. 1. 2. 3. dist. 60. omnibus autem Diaconis præferuntur Presbyteri: c. Diaconi. 12. cum. 8. seqq. c. legimus. 24. dist. 93. potestate vero Archidiaconus est major Archipresbytero; ut dictum.*

Minor majori præfertur, si vices ejus gerat, qui utroque major est. Ut Diaconus Episcopi vices gerens, præfertur Presbytero. *c. pen. in fin. c. ult. dist. 93.*

Non tantum majoribus major honos, sed & *Obedientia* debetur. *tot. tit. hic. & Ext. eod.*

Quæ est subjectio, quam inferior Clericus superiori, juxta juris statutique normam, vel manu datâ, vel juramento præstito, promittit. *c. cum in Ecclesiis. 10. c. legebatur. 3. c. dilecti filii. 13. hic.*

De Ordinatione Clericorum.

T I T. XXV.

IN dictis ordinibus nulli sunt, nisi per consecrationem ordinentur.

Ordinatio, est personæ Ecclesiasticæ consecratio, per quam gratia & potestas obeundorum Ecclesiasticorum munerum confertur.

Est vel *major*, quæ majores ordines; vel *minor*, quæ minores continet.

Vtraque fieri potest ab Episcopis; in propria, non aliena Diœcesi, *c. 1. nullus alterius. & c. 3. nullus Primas. 9.*

qu. 2.

qu. 2. propriis, non alienis subditis, nisi ordinarii Episcopi præcedente licentia; c. 2. de tempor. ord. in 6. licet. Episcopatus loco & dignitati renunciaverint: modo minores ordines contulerint; si sacros, & quidem scientibus, non valet ordinatio; si, sed non supinè, ignorantibus, per dispensationem admittitur: c. 1. de ord. ab Episc. qui renunc. Episcopat. ut & quam quis ab Episcopo excommunicato per ignorantiam accepit. c. 2. eod. Minor ordinatio fieri etiam potest à Prælato non Episcopo; c. cum contingat. 11. de atat. & qual. c. veniens. 19. de præscript. si quidem ordinandi, non sint irregulares, idest, promoveri non prohibeantur. Specul. in tit. de irregul.

Prohibentur quidam ob atatem, vitium animi, corporis, originis; vinculum reale, personale, civile.

Ob atatem, infans ad minores ordines, minor octo & decem annis ad Subdiaconatum, minor viginti ad Diaconatum, minor viginti quinque ad Sacerdotium, c. 7. §. inferiora. de elect. minor triginta ad Episcopatum. d. c. 7. §. inferiora. c. cum nobis. 19. vers. de legitima. eod. c. Episcopus. 6. dist. 77. c. de iis. 5. dist. 28. c. quicumque. 3. dist. 77. Clem. ult. de atat. & qual.

Si tamen minor ordinatus fuerit, ab ipsius executione, usque ad ætatem legitimam, suspenditur. c. vel non est compos. 4. de temp. ordin.

Circa ætatem autem potest Episcopus, ut quis dignitatem vel personatum sine cura animarum obtineat, dispensare. c. un. de atate & qualit. ordin. in 6. c. cum nobis. 19. §. fin. c. innotuit. 24. de election.

Ob vitium animi ordinari prohibetur, qui fuit furiosus, in scena lusit, afflictione diabolicâ vexatus; c. 3. 4. & 5. dist. 33. qui crimini, quod peccatum mortale, cum perpetua infamia, inducit, addictus; ut homicida, adulter, perjurus.

Sed homicidii, quamvis occulti, reus, & licet pœnitentiam subiit, repelli debet. c. fin. de temp. ordin. nec refert an propriâ manu, ut miles; an præcepto, ut Iudex; an

consilio, ut dum fortè assessor esset; illud voluntariè, non coactus; *c. si quis viduam. 8. dist. 50. & per tit. de homicid. casu, dans operam rei illicitæ, c. continebatur. 8. eod. c. Clericum qui. 5. & c. seq. dist. 50. aut & licitæ; si culpa casum præcesserit: d. c. continebatur. 8. c. Presbyterum. 7. de homicid. non si nulla culpa subfit: c. Iohannes Sacerdos. 23. eod. commiserit.*

Aliis criminibus, quæ manifesta, degradationis pœnam inferre possunt, obnoxii, actâ pœnitentiæ parte ordinibus acceptis uti possunt, & à sublimioribus non possunt arceri. *c. ex tenore. 4. & c. fin. ubi Gl. & Butr. de temp. ordin.*

Ob vitium corporis ordinari non potest, qui sibi volens, vel virilia, vel digitum, vel pedem amputavit, oculum eruit. *c. pœnitentes. 3. c. si quis abscidit. 4. c. qui partem. 6. c. lator. 11. c. si Evangelica. 13. dist. 55.* Nolens, puta, vel vi, vel in cunabulis, vel medicorum consilio, qui illa amisit, non prohibetur. *d. c. si quis abscidit. c. 1. 3. & 5. corp. vitiat. ord. c. si quis à medicis. 7. dist. 55.* Nisi sit eluscatus. *c. fin. dist. 55.* nunquam enim ordinari is potest.

Ob vitium originis, prohibentur ordinari illegitimi, ex quocunque coïtu, extra matrimonium procreati. *c. inter dilectos. 11. de excess. Pralat. c. infamibus. 87. de reg. jur. in 6. nisi ut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes. c. 1. de fil. presbyt. ad præfecturas tamen non sunt admittendi. d. c. 1.*

Admittuntur tamen ad minores ordines cum dispensatione Episcopi; cum Papæ ad majores. *c. 1. eod. in 6.*

Quæ dispensatio, ordinis collationem præcedere debet: alioqui illicitè actum. *Glos. fin. in c. un. de etat. & qual. in 6. & Dd. in c. in princ. vers. dispensat. de filiis presbyt. in 6.* Quia causæ cognitio adhibenda, & decretum quo pronunciet Episcopus dignum illum esse dispensatione. *Specul. in tit. de dispens. §. qualiter autem. num. 3.*

Ob

Ob vinculum reale ordinari vetantur; qui sive publicam, sive privatam rem gesserunt, nisi, administratione finitâ, rationes reddiderint. c. un. de oblig. ad rat. ord.

Vinculum personale ordinationem impedit in servo; nisi per manumissionem, vel expressam, c. 1. 2. 3. 4. 5. de serv. non ordin. c. 1. & 2. dist. 54. vel tacitam, domino consentiente, c. si servus. 20. dist. 54. libertatem sit consecutus. In Monacho; nisi Abbate consentiente. c. 1. dist. 58. c. ad aures. 5. de temp. ordin.

Vinculum civile, quo quis se ita fori secularis coërcitioni obstrinxit, ut inde recedere non possit, quem ab ordinibus arcet: ut bigamus, qui nequidem uxore mortuâ, c. 3. de bigam. non ord. aut cum dispensatione, c. 2. eod. ad eos admitti potest.

Bigamus propriè dicitur, qui duas legitimas uxores habuit; id est, qui secundas nuptias contraxit. Quasi bigamus tamen irregularitatem incurrit, qui sciens uxorem adulteram cognovit; c. si cujus. 11. & c. seq. dist. 34. qui repudiatam, c. 1. eod. viduam, c. 3. c. 5. vers. cum ergo. c. ult. eod. duxit; qui secundas nuptias de facto contraxit; veluti cum in sacris esset. c. 4. eod.

Qui verò ab altero ductam, sed non cognitam, duxit, irregularitatem non incurrit; d. c. 5. eod. ut nec is, qui multas habuit concubinas, si quidem pœnitentiâ impositâ cum eo dispensetur. c. pen. eod.

Non sufficit quem ab ordinatione non repelli; sed & necesse ut sit irreprehensibilis, sobrius, ordinatus, prudens, pudicus, hospitalis, literatus, non vinolentus, percussor; sed modestus, non litigiosus, non cupidus, sed suæ domui bene præpositus, non neophytus. c. cognoscamus. 14. dist. 34. c. Apostolus. 1. dist. 81.

Ut cognoscatur an talis sit, adhibendum est *scrutinium*.

Quod est inquisitio scientiæ, morum, vitæ, fidei, institutionis, patriæ, loci ubi educatus, generis, ætatis; ejus qui ordines petit, per Archidiaconum, vel Episcopum,

pum, facta. *c. un. de scrut. in ord. fac. c. licet. §. de offic. Leg. c. 1. & per tot. dist. 24.*

Inquisitione per tres continuos dies diligenter factâ, qui probati, Episcopo præsentari debent. Qui minores ordines conferet, diebus festis; *c. 3. de temp. ordin.* Majores tantum statis temporibus anni, quibus jejunia ab Ecclesia indicuntur; & sabbato sancto, vel sabbato ante dominicam de passione. Diebus autem dominicis, & aliis diebus festis, & sabbato Pentecostes, solus Pontifex Romanus conferre potest. *c. 1. 2. 3. eod.*

Extra statuta tempora si ordinatio facta, ordinatus quidem characterem recipit, sed ab officii executione suspenditur, donec cum eo dispensetur: ordinator Ecclesiasticâ disciplinâ coercetur. *c. cum quidam. 8. & c. pen. eod.*

Duo ordines eidem uno die, aut duobus diebus, continuato jejunio, conferri non possunt. si id fiat, ordinans à collatione illorum ordinum, & ordinatus ab executione officii, donec dispensetur cum eo, suspenditur. *c. literas. 13. c. delectus. 15. eod.*

Qui scrutinium subterfugiens, furtivè ordines surripuit, puta multitudini ordinandorum, ignorante Episcopo, se ingerendo, is & majorum ordinum suscipiendorum spe, & ordinis illius, quem suscepit, executione privatur; nec eum, si sit excommunicatus, alius quàm Pontifex Romanus potest restituere; omnino, si non excommunicatus. *c. 1. & seq. de eo qui furt. ord. susc. vide eund. tit. infra.*

Qui per saltum, id est, intermissis certis gradibus, promotus; si id factum per *negligentiam*, debet, quamvis characterem recipiat, tamdiu à majoribus abstinere, quamdiu congruo tempore omissos accipere distulit. *c. 1. & 2. dist. 55. ubi Gl. si per superbiam, ab Ecclesia abjici, nec amplius ordinari potest. c. un. de Cler. per salt. prom. vide eund. tit. inf.*

Ordinatione semel factâ, ea, licet in ordine quid sit prætermis-

termis-

termiffum, non iterabitur: fed quoad fieri poffit, id quod per errorem, vel incautè neglectum eft, fupplebitur. *c. 1. de facram. non iter. c. Presbyter. eod. Ratio eft in c. 1. eod. & c. sacramenta. 34. c. manus. 74. cauf. 1. qu. 1. Nifi omnino contra Ecclefie formam ordinatio fuerit facta. arg. c. 52. fine exceptione. 12. qu. 2. c. 1. 30. qu. 5.*

De Regularibus ac Monachis.

TIT. XXVI.

Sequitur de *Regularibus*: qui certæ regulæ, ut religiofè & fub Prælati imperio vivant, five in clericatu, five in laïcatu, funt adftricti.

Hi, fi Canonici funt, *Canonici regulares* vocantur; fin minus, *Monachi*.

Fiunt vel *paternâ devotione*, vel *propriâ professione*, vel *voti emiffione. c. Monachum. 3. 20. qu. 1.*

Ex paterna devotione; cum pater filium impuberem religioni offert.

Quo cafu filius poft pubertatis annum, à Prælato monitus, fi voluerit, monafterium egredi poterit: fi vero profeflionem fecerit, vel factam de fe prius ratam habuerit, pœnitentiæ locus ulterius non datur. Cum fe profeflionem factâ monafterii regulæ adftrinxerit. *c. cum virum. 12. hic. c. 10. illud autem. 20. qu. 1.*

Eft enim (fecundum Hoftienf.) *profeflio* nihil aliud, quam certæ religionis folennis promiffio, quâ quis fe ad obfervationem certæ alicujus monachalis regulæ obftringit. *Hoftienf. §. ad quid. verf. profeflio. eod. tit.*

Fit vel *exprefse* vel *tacite*.

Exprefse, cum quis poft annum probationis, coram Abbate, Priore, aliove Prælato, vel ab eo mandatum habente, ejus religionis quam fibi ipfe delegit promiffionem accipiente, univerfo conventu præfente, habitum monachalem fufcipiens, in fcriptis, *c. vidua. 20. qu. 1.*

c. omnes femina. 27. qu. 1. promittit, continentiam ut servet inviolatam, se, quantum pro humana imbecillitate poterit, operam daturum, Prælato obedientiam & ex regulæ præceptis debitam observantiam præstaturum, malam vitæ consuetudinem in melius mutaturum; bona omnia repudiaturum. Spec. in tit. de regul. per c. vidua. 20. qu. 1. c. porrectum. 13. c. ex parte. 22. hic. c. ex transmissa. 3. de renunc. c. cum ad monasterium. 6. de statu monach.

Monachus enim nihil proprii habere potest; si sine licentia Prælati peculium habet, monasterio, in quo ab initio conversatus, sub Abbatis sui regula reddere cogitur. *c. monachi. 2. de statu monach. alioquin ab altaris communionemoveatur; si sic decefferit, sepulturâ & fratrum communionem privatur. c. Iohannes. 5. hic.*

Tacitè fit professio; cum ex sufficientibus conjecturis colligitur; veluti si post probationis tempus in monasterio manens habitum retinuerit: si quidem is novitiis & professis communis; si distinctus, professorum habitum susceperit. *c. statuimus. 23. eod. Clem. eos qui. 2. de regul. c. constitutionem. 3. hic. in 6.*

Solent enim Regulares, Novitios, id est, religioni non addictos, à Professis vel *vestium discrimine* segregare: sive id sit in vestium colore, sive modo & formâ; *d. Clem. eos qui. vel loco quo suscipiuntur.* Novitii enim vestes suas in monasterio; professi in Ecclesia ante supremum altare, induunt; vel *personâ, qui eas confert*; Professis enim tantum Abbas vel Prior; Novitiis, inferiores, *c. 1. in fin. de regul. in 6. d. c. statuimus. 12. in fin.*

Tempus probationis est anni spatium; ut Prælati possit mores novitii spectare, is experiri an ea vita sibi placeat, & an eam possit tolerare. *c. consult. 20. & c. pen. hic.*

Potest tamen illud Prælati ex causa ad biennium vel triennium producere. *Abb. c. ad Apostolicam. 16. eod.*

Ante professionis tempus expletum, professionem si
Præ-

TIT. XXVI. DE REGULAR. AC MON. 41

Prælati admittant, puniuntur, quamvis professio (nisi ad religionem aliquam mendicantem sit facta, *c. non solum. 2. & c. seq. eod. in 6.*) teneat; *d. c. Apostolicam.* expresse si facta, ut professum illi religioni, quam proficetur, obliget: si tacite, generaliter religioni alicui, si quidem sit ætatis aptæ, voluntarius, triduo perseveret. *c. constitutionem, 3. eod. in 6.*

Ætas apta olim erat pubertas; *c. ad nostram. 8. hic. Gl. d. Clem. eos. verb. ætate.* nisi esset congregatio valde difficilis, aut regula valde angusta; tum enim plena pubertas; id est, decem & octo anni, requirebatur: *c. quia in insulis. 6. ubi Abb. hic.* Ex Concilio Tridentino in quacunque religione professio ante decimum sextum annum admitti nequit. *c. 15. sess. 25.*

Ad religionis habitum assumendum obligatur etiam quis (ut dictum) *voti emissionem.*

Est *votum*, alicujus rei faciendæ, vel non faciendæ, cum deliberatione animi Deo facta promissio.

Voti enim præstationem animi deliberatio præcedere debet: Quod enim potius ex facilitate animi, quam discretionis arbitrio emittitur, non est obligatorium. *c. venientis. 2. de voto. c. carissimus. 11. c. veniens. 16. de convers. conjug.*

Est *votum* vel *Necessarium*, sive *Præcepti*; quod fit in Baptismo, dum is qui baptizatur, Satanæ & ejus operibus renunciat, ac se fidelem fore, & divina præcepta servaturum promittit: *c. Spiritus Sanctus. 58. §. ecce. 1. qu. 1. c. prima. 73. de consecrat. dist. 4. vel Voluntarium*, sive *Consilii*; quod quis sponte suâ & liberâ voluntate facit, se ad id adstringens, ad quod ante votum non tenebatur; ut ad continendum, abstinendum, peregrinandum. *c. 1. 17. qu. 1. c. non solum. 32. qu. 8.*

Hoc subdividitur in *Simplex*, quod solennitate vacat: & *Solenne*, quod per susceptionem sacri ordinis, vel per expressam aut tacitam probatæ religionis professionem est solennizatum. *c. 3. qui Cler. vel voven. c. un. de voto. in 6.*

Vtrumque dicitur voluntarium ratione initii, quia nemo vovere cogitur; sed vota semel facta obligant jure divino, *Num. cap. 30. Deut. cap. 13. Psalm. 75. Canonico, c. 5. vers. sanè. de voto. Civili. l. 2. ff. de pollicitat. proinde ea implere necesse;*

Nisi I, Vovens liberam vovendi voluntatem non habeat; ut si voveat servus sine consensu domini, *arg. c. mulieres. 6. in fin. de sent. excomm. c. ex antiquis. 9. dist. 54. impubes sine consensu parentis, vel tutoris; c. 1. & 2. 20. qu. 1. Episcopus sine consensu Papæ, ut Ecclesiam derelinquat: c. nisi cum pridem. 10. de renunc. Clericus sine licentia Prælati, ut officii injuncti executio impediatur; c. admonet. 4. eod. Monachus, ut regulæ monachali eximatur. II. Votum sit turpe ac rei illicitæ. c. 5. in malis. 20. qu. 4. III. Simpliciter quis dixerit, se Monachum vel le fieri, nec ad ulteriorem aliquem actum processit. c. 3. hic. & c. bonæ 17. qu. 1. IV. Conditio, sub qua quis vovit, non sit impleta. c. non solum. in fin. 32. qu. 8. V. Ex justa causa, & superioris auctoritate interveniente votum fit redemptum, vel mutatum, c. 1. 2. 7. c. ex multa. 9. de voto. vel delatum. c. 5. c. quod super. 8. eod.*

Quicumque ad religionem converti voluerit, non novam instituere, sed unam ex institutis & ab Ecclesia receptis optare debet. *c. fin. de relig. domib.*

Eæ principaliter sunt quatuor; videlicet, *Basilii, Benedicti, Augustini, Francisci*; à quibus, tanquam fontibus, cæteræ omnes manant. *Sum. Aug. de Clav. verb. religiosis. col. 2. ubi apost. Boër. de vita & statu Ger. ad princ. Exceptis Carthusiensibus, qui suis statutis utuntur. Boër. ubi sup. num. 4.*

Religionem ingressus, ejusque habitum assumens sponte, legitimæ si sit ætatis, eam deserere non potest, sed proprio debet Abbati obedire, & in castitate in monasterio proprio, seu clauastro, degere. *c. 8. placuit communi. c. 11. juxta. 16. qu. 1. si illud deserat, Abbas, non expectato Ordinario, eum debet diligenter perquirere, &*

com-

competenti coërcitione ad illud redire compellere. *c. Iohannes. 5. de regular. c. fin. Ext. eod.*

Ad arctiorem tamen regulam, petitâ, licet non impetratâ à Prælato veniâ, transire Regulari permittitur; *c. licet. 28. eod.* non laxiorem.

Mendicantes Religiosi, absque speciali Sedis Apostolicæ licentia, ad ullum Ordinem monasticum, Carthusiensium excepto, transire, sub pœna excommunicationis, vetantur, *c. 1. Ext. eod.*

Ut monastica disciplina inviolabiliter custodiatur, *Abbas* de congregatione monachorum eligi debet; cui monachi cum omni obedientia & devotione subjaceant; *c. Abbatem. 3. cum duob. seq. 18. qu. 2. & uni, non pluribus, monasteriis præsit. c. fin. in fin. de religios. domib.*

Is diligenter attendere debet, ut monachi *statum*, id est, *regulam* observent.

Status consideratur, circa habitum, vitæ institutum, mores, disciplinam, conversationem, continentiam, subjectionem, obedientiam, humilitatem, patrimonii abdicationem, paupertatem, abstinentiam ciborum, familiam, correctionem, temperantiam, modestiam. *Quæ omnia in c. cum ad monasterium. 6. & c. in singulis. 7. de statu monach. fuse explicantur.*

Inter ea tria sunt substantialia; ut *propria voluntatis renunciatio*, *proprietatis abdicatio*, & *castitatis observatio*; adversus quæ ne quidem Papa dispensare potest: in aliis, dispensatio admittitur. *d. c. cum ad monasterium. 6.*

Quæ non tantum Monachi, sed & Canonici regulares observare tenentur; licet laxiori quam Monachi, subjiciantur regulæ: unde & facilius Ecclesiæ parochiali præficiuntur, eisque animarum cura committitur. *c. quod Dei. 5. eod.*

De vita & honestate Clericorum.

T I T. XXVII.

Congruit omnibus Clericis, ut quemadmodum in sortem Domini sunt vocati, & à populo officiis & ordinibus sunt divisi: ita & summâ ope nitantur, vitæ honestate cæteris præcellere.

Est *vita honestas*, agendi dexteritas, quâ hominis animus ita informatur, ut detestando vitia, ea quæ cum virtutibus congruunt, amplectatur. *Venat. in Analys. hoc tit.*

Ea est, vel *Interna*; quæ est animi probitas; quâ præditi cupiunt ex juris & virtutum præscripto vivere: vel *Externa*; quæ in externis secundum virtutem actionibus consistit.

Utramque ut observent Clerici, certæ *de eorum negotiis & officiis, moribus & vita, habitu & vestitu*, regulæ Canonibus traduntur.

Circa negotia & officia, Ne officia vel commercia secularia; ut mercaturam, *c. secundum. 6. ne cler. vel monach.* procuracionem laïcorum, *c. Sacerdotibus. 2. ne cler. vel mon. Clem. 1. eod.* tabellionatum, *c. sicut. 8. eod.* chirurgiam quæ inustionem vel incisionem inducit, *c. sententiam. 9. eod.* exercent; mimis, jocularibus & histrionibus non intendant; *c. clerici. 15. hic.* quicquam per quod ad vindictam sanguinis tenditur, exercent; *d. c. sententiam. 9.* sylvaticas venationes cum canibus, nec accipitres, falcones, habeant: *c. omnibus. de cler. venat.* ne Juri Civili, *c. fin. ne cler. vel mon.* nisi ut facilius Canonicum Jus intelligant, operam dent; *Gomez. ad reg. Cancell. regul. de jure quas. nox toll. qu. 3. circa fin.* Contra si faciant, & tertio moniti non absistant, privilegiis omnibus privantur; & quandoque severius puniuntur. *d. c. fin. Clem. 1. hic.*

Circa vitam & mores; ut concubinas non habeant, *c. præter hoc. 6. dist. 32. ubi Gl. 1.* sed extra matrimonium casti-

castitatem; *c. diaconus. 1. §. hęc auctoritate. dist. 27.* vel in matrimonio, si sint Orientales, *c. ut clericorum. 13. hic.* fervent; ut & modum in cibo & potu, *dist. 35. per tot.* id est, eum, licet delicatum, pro sustentatione corporis ingerant, *c. quisquis. 1. §. nam in omnibus hujusmodi. dist. 41.* ebrietati non sint dediti, *d. dist. 35. per tot.* nec alios ad bibendum incitent: *c. à crapula. 14. hic.* nec bibendi vel edendi causâ tabernas, nisi peregrinentur, intrent; *c. Clerici. 15. eod. c. Clerici. 4. dist. 44.* nec aleis ludant; nec aleatoribus intersint, *d. c. Clerici. 15. hic.*

Circa habitum corporis & vestitum; ut vestium & ornamentorum, quæ Clericorum usui sunt, formam præfinitam servent; *c. Clerici. 15. hic.* comam nec barbam nutriant, *c. Clerici. 15. & c. si quis. 4. eod.* nec vestibus, nec calceamentis decorum quærant, *c. Clericus. fin. dist. 41.* Contra si sine justa causa fecerint, beneficii, si habent, fructibus, semestri spatio privantur; si non habent, sex mensibus ad Ecclesiasticum beneficium adspirare vetantur: si sint in dignitate constituti, aut beneficium curatum vel personatum habeant, anni unius fructuum jacturâ multantur. *Clem. fin. hic.*

Hęc omnia ut melius servent, prohibitum iis simul cum mulieribus, de quibus incontinentiæ suspicio esse possit, *c. 1. cum sim. de cohab. cleric. & mulier.* habitare; Matrem, sororem, amitam, neptem, in quibus naturale scœdus nihil permittit sævi criminis suspicari, domi habere possunt. *c. à nobis. 9. eod. c. interdixit. 16. dist. 32.* Nisi secum ancillas & pedissequas ducant. *c. 1. eod.*

De visitatione per Prælatos facienda.

TIT. XXVIII.

UT Clerici omnes, ut & Laici, à vitiis, animarum salutis obfuturis, abstineant, debent Prælati, jurisdictionem habentes, *Abb. c. cum Apostolus. 3. no. de censib. loca sibi subjecta, quolibet anno, semel invisere; c. 14. decrevimus.*

vimus. c. 11. Episcopum. 10. qu. 1. & proposito Dei verbo, diligenter in vitam & conversationem Ecclesiis vel quibuscunque piis locis ministrantium inquirere, malè si audire inveniunt, ipsorum Ordinariis indicare, notoria crimina ulcisci, *c. 1. §. sanè. de censib.* populum cohortationibus & admonitionibus, ad religionem, pacem, innocentiam accendere. *Concil. Trident. c. 3. sess. 24. de reformat.*

Visitandi potestatem habent, Cardinales Legati, *c. procurationes. 23. de censib. c. mandamus. ubi Abb. de offic. Archid. Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, proprio nomine: alieno, puta Episcopi nomine, Archidiaconi, Decani; nisi jus parochiam suam visitandi præscripserint; Abb. d. c. cum Apostolus.* proprio nomine Abbates, Priores, & alii Prælati regulares, ac Canonici regulares; monasteria aliaque loca eis subjecta.

Hi ea visitant vel per se, vel per visitatores in eorum Capitulis deputandos.

Qui formam à jure præscriptam ad unguem debent servare. *c. in singulis. 7. c. ea qua. 8. de stat. mon. Pavin. tr. de visit. qu. 2. prim. part.*

Nullus subditus à visitationis onere se immunem esse, præscriptione tueri potest. *c. cum ex officio. 16. de præscrip.*

Pro visitatione debetur Procuratio. *de qua infra lib. 2. tit. 36.*

De Privilegiis Clericorum.

T I T. XXIX.

CLerici vitæ honestatem servantem variis, tam circa eorum personas, quàm res, & actiones, gaudent privilegiis.

Circa personas; quod Laïcis habeantur digniores; *c. beatus. 5. 6. qu. 1.* hi illis non debeant imperare; *c. Ecclesia. 10. de constit. c. fin. de reb. Eccles. non alien.* nec violentiam inferre; ni excommunicari ipso jure velint; *c. 29. si quis*

si quis suadente diabolo. 17. *qu.* 4. *c. quod de his.* 26. *c. pervenit.* 17. *c. tua nos.* 19. *de sent. excom.* Laicis fidelitatis juramentum præstare non tenentur; *c. nimis.* 30. *de jurejur.* Nisi ab ipsis temporalia habeant; *d. c. nimis. ratio in c. solita.* 6. *de major. & obed.* Etiam in potestate patria constituti peculium castrense acquirunt; *ut diximus inf. de pecul. cler. ubi vide.* à muneribus personalibus sunt immunes; *c. Episcopus. dist. 88. can. 20. de presentium. can. 40. generaliter.* 16. *qu.* 1. si peregrinentur, in gradu suo suscipiuntur, ad verbum faciendum & oblationem consecrandi invitantur, *can. 38. Episcopi. 7. qu.* 1. rectè tabernas ingrediuntur, *can. clerici. 4. dist. 44. habitum mutant, can. 3. Episcopi. 21. qu.* 4. sacramentum pœnitentiæ etiam interdicti tempore & petunt, & accipiunt. *c. quod in te.* 11. *de pœnit. & remiss.*

Circa *res*; quod de propriis quas secum non negotiandi causâ deferunt, nulla guadagia, pedagia & vectigalia solvunt; *c. quanquam.* 4. *de censib. in 6. c. non minus.* 4. *de immun. Eccles.* rebus Ecclesiæ nulla sordida & extraordinaria munera imponuntur; *Nov. 131. cap. 5. vid. inf. de immunit. Eccles.* res Deo consecratæ & à Clericis possessæ jure census liberantur; *c. in qualibet.* 23. *c. secundum canonicam.* 24. *c. 25. sancitam.* 23. *qu.* 8.

Circa *actiones*; easque vel *criminales*, vel *personales*.

Circa *Criminales*; quod pro crimine, sive criminaliter, ut in *c. at si Clerici.* 4. *de judic.* sive civiliter agatur; *c. 2. & c. si diligenti.* 12. *de foro compet. c. si Iudex laicus.* 12. *de sent. excomm. in 6.* non coram iudice seculari, nullâ contrariâ consuetudine obstante, *c. 1. 2. 11. qu.* 1. *c. qualiter.* 17. *& c. clerici.* 8. *de judic.* sed tantum Ecclesiastico, debeant conveniri; *c. 1. c. cum contingat.* 13. *de foro compet.* adeò ut vocati coram seculari, comparere, sive per se, sive per procuratorem, etiam ad clericatus exceptionem proponendam, non teneantur: *Archidiacon. ad can. 2. 15. qu.* 4. *Felin. ad c. veniens. in fin. de accusat.* quod si comparuerint, à seculari Iudice iudicatum, etiam pro Clericis,
can.

can. 43. placuit. 11. qu. 1. non tenet: can. 7. in primis. 2. qu. 1. can. clericus. 48. & seqq. can. 41. Sacerdotibus. 11. qu. 1. c. at si Clerici. 4. de judic.

Habent enim tantum in Clericos jurisdictionem Ecclesiastici, non Laïci; *c. Ecclesia sancta Maria. 10. de constit. c. decernimus. 2. de judic. c. un. de Cleric. conjug. in 6: Nisi ipsis à summo Pontifice in Clericos certi loci ea sit concessa; c. prater hoc. 6. §. verum. dist. 32. can. 4. illud. 10. qu. 3. c. ubi periculum. 3. §. prater ea. de election. in 6. Vel Clerici sint assassini: aut eorum fautores, submissores, *c. 1. de homicid. in 6. in habitu seculari sint inventi delinquentes; c. 1. de apostat. sint degradati; c. 2. de pœnis. in 6. aut aliter Clericatus privilegia amiserint; Clem. 5. de vita & hon. Cleric. Judices Ecclesiastici crimini puniendo non sufficiant; can. 20. Principes seculi. 23. qu. 5. aut alii similes casus occurrant. quos vid. apud Guillelm. Benedic. in repetit. c. Raynutius. verbis, & uxorem nomine Delasiam. in 2. decis. num. 140. usque ad num. 162.**

Circa actiones personales; quod de iis non coram Laïco, sed Ecclesiastico iudice possint conveniri; quamvis consentiant. *c. si diligenti. 12. c. si Clericus. 5. de foro comp.*

Quod privilegium circa actiones reales non habent, sed debent conveniri coram Iudice loci, ubi res sunt sitæ. *c. ex transmissa. 6. & seq. de foro comp.* Habentur enim in iis pro Laïcis. *Panorm. ad c. constitutus. & ad c. cum dilectus. de religios. dom.* Non tamen in jus possunt vocari extra provinciam, nisi ad Sedem Apostolicam fuerit appellatum. *can. ultra provinciarum. 4. c. peregrina. 12. c. non liceat. 14. & c. 16. neminem. 3. qu. 6. c. 7. nec extra propriam. 3. qu. 9. l. omnes qui. 33. in princ. C. de Episc. & Cleric.*

FINIS LIBRI PRIMI.

AR-